



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Disputatio XXVII. De merito & oratione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

Vel etiam præscindendo à visione beata, deberi ex vi vnionis auxilia vberiora humanitati, quæ ex se non prædeterminarent physicè, sed tamen, quæ ex se determinarent moraliter ad actum perfectiorem, hoc est, ex vi quorum redderetur adeò difficilis omisio actus perfectioris, vt in nullo casu omitteretur.

166
Aliud du-
brum.

Petes, an requiratur omnino dari auxilium prædeterminans moraliter ad actum perfectiorem? an verò sufficeret dari ad exigentiam vnionis hypostaticæ auxilium aliquod efficax, cognitum scilicet efficax per scientiam mediam, licet non esset moraliter prædeterminans? hoc enim videtur sufficere, ad hoc, vt Christus operetur semper infallibiliter id, quod melius est; si vnio hypostatica de se exigit, quoddam dentur ei illi sola auxilia, quæ per scientiam mediam præuideantur efficacia.

Solutio.

Respondeo, si exigeret vnio hypostatica, quoddam darentur illa auxilia, quæ præuidentur efficacia ad actum perfectiorem, non bene explicaretur libertas physica Christi ad actum minus perfectum; quia repugnaret etiam physicè coniungi cum vnione hypostatica actum minus perfectum; repugnat enim omnino non solum physicè, sed etiam metaphysicè, coniungi actum minus perfectum, seu carentiam actus perfectioris cum auxilio efficaci ad actum perfectiorem, quatenus auxilium efficax est; nam licet cum auxilio efficaci specificatiue accepto posset coniungi negatio consensus, non tamen potest coniungi cum efficacia, seu cum auxilio efficaci reduplicatiue, vt efficax est, quia esset coniungere duo contradictoria: ergo nec posset physicè coniungi carentia actus perfectioris cum vnione hypostatica exigente auxilium efficax, vt efficax est. Patet consequentia, quia hoc auxilium non potest dari per te Christo, nisi ex suppositione, quoddam sit efficax, ergo id, quod non potest coniungi cum auxilio, vt efficaci, non poterit etiam coniungi cum hoc auxilio, prout dato humanitati vnita Verbo; ergo in humanitate Christi non potest coniungi hoc auxilium cum carentia operationis perfectioris, quia coniungi illam carentiam cum vnione hypostatica, & hoc auxilio, esset coniungi cum hoc auxilio, prout dato cum præuisione efficaciæ; quæ tamen coniunctio repugnat physicè, & metaphysicè, vt constat.

167
Ensis.

Dicit aliquis, aliquando sine inconuenienti posse dari Christo illa auxilia efficacia, non prædeterminantia moraliter: scilicet, si dicatur, quoddam vnio hypostatica non exigit de se determinatè auxilium præuissum efficax ad actum perfectiorem, sed indeterminatè, seu disunctim; hoc est, exigit dari vel auxilium præuissum efficax, vel saltem prædeterminans moraliter ad actum perfectiorem. Si enim talis exigentia ponatur in vnione, non sequitur id, quod supra inferebamus, non posse physicè coniungi cum vnione hypostatica carentiam actus perfectioris; imò sequitur, posse physicè coniungi, licet non possit moraliter. Nam cum vnio non petat determinatè auxilium, vt efficax, sed disunctim, vel auxilium efficax, vel prædeterminans moraliter, potuisset dari

hoc secundum. Quare cum toto hoc auxilio præuiso efficaci, etiam prout exigitur ab vnione, potest physicè coniungi carentia actus perfectioris, quia non exigitur ab vnione determinatè prout efficax, sed disunctim, prout est, vel efficax, vel prædeterminans moraliter; cum hoc autem disuncto non repugnat physicè, sed solum moraliter coniungi carentiam actus perfectioris.

Sed neque hoc modo potest sufficienter defendi illa potestas physica in Christo ad coniungendam cum hoc auxilio carentiam actus perfectioris; quia licet vnio non exigit hoc auxilium efficax determinatè, sed disunctim hoc efficax, vel aliud prædeterminans moraliter; hoc tamen auxilium exigit, non dari, nisi quando præuideatur vt efficax. nam petit per te, quoddam auxilium, quod non fuerit moraliter prædeterminans, non detur, nisi præuideatur vt efficax; hoc autem auxilium ex se habet, non esse moraliter prædeterminans; ergo hoc non exigitur ab vnione, nec potest dari intuitu vnionis, nisi vt præuissum efficax; ergo cum vnione, & cum hoc auxilio non potest physicè coniungi carentia operationis. Patet consequentia, quia hoc auxilium non potest physicè coniungi cum vnione, nisi supponatur efficax, vel prædeterminans moraliter, sed hoc auxilium ex se habet non esse prædeterminans moraliter, ergo ex se habet, non posse coniungi cum vnione, nisi supponatur efficax; ergo hoc auxilium prout coniunctum cum vnione non potest etiam physicè esse inefficax, & per consequens repugnat etiam physicè coniungi carentiam operationis cum vnione hypostatica, & hoc auxilio. Vt ergo defendatur in Christo libertas in genere moris, & potestas saltem physica ad actum minus perfectum, debemus recurrere ad auxilia moraliter prædeterminantia, hoc est, inducentia necessitatem moralem, per quæ voluntas Christi moraliter prædeterminetur ad actum perfectiorem; & hæc sufficiant de impeccabilitate, & libertate Christi.

DISPUTATIO XXVII.

De merito, & oratione Christi.

SECTIO I. Per quos actus Christus meruerit?

SECTIO II. Quid Christus sibi meruerit?

SECTIO III. De ijs, quæ Christus alijs meruit.

SECT. IV. Quo tempore Christus meruerit, & an nunc oret in celo?



ERTINET hoc iam ad questionem 19. vbi S. Doctor agit de operatione Christi, & ibi Theologi disputant de Christi merito. Supponenda autem sunt ex 1. 2. omnia quæ pertinent ad materiam de merito in communi; & solum

solum examinanda, quæ peculiariter pertinent ad meritum Christi. Supponenda item quæ in superioribus disputat. 6. dixi de infinito valore meritorum Christi. Item quæ dixi disp. 8. ubi vidimus, humanitatem non potuisse conaturaliter mereri suam unionem hypostaticam, non solum per opera subsequenta, sed nec per antecedentia ipsam unionem. Item quomodo potuerit mereri gratiam suis progenitoribus. Quibus suppositis, facilius expedientur, quæ restant in hac materia de merito Christi, ad quam etiam reduci potest, quod de oratione Christi agitur in questione 21.

SECTIO I.

Per quos actus Christus meruerit?

Dubatur primò de actu dilectionis Dei, an fuerit in Christo meritorius? Ratio dubitandi est, quia oritur necessariò ex visione beata; ergo non meritorie. Propter hoc P. Vazquez, & alij, quos sequitur disp. 74. cap. 2. & 3. negat Christum meruisse per dilectionem Dei. Communis tamen sententia affirmat, quam sequitur Suarez disp. 39. sect. 2. Valentia quæst. 19. puncto 2. & alij recentiores. Et videtur indicari Ioann. 14. ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: sursum, & amicus hinc. Ceterum hæc sententia non eodem modo defenditur. Aliqui enim dicunt, hunc amorem fuisse Christo liberum, quia per potestatem miraculorum, quam habebat, potuit suspendere amorem, qui alioquin necessariò oriebatur ex visione clara Dei. Hos refert supprello nomine P. Henriquez de fine hominis, c. 6. §. ult. litt. K. & Vincentius de gratia Christi, quæst. 5. art. 3. dub. 1. Sed displicet, tum quia si non apparebat aliquid mali in exercitio amoris, forsitan nulla potentia potuit humanitas suspendere liberè eum actum; omnis enim suspensio libera oritur ex cognitione alicuius mali, ut suppono: tum etiam, quia non est credibile datum fuisse humanitati Christi potestatem ad suspendendum amorem beatificum; nam ille amor vel est de essentia, vel saltem de complemento beatitudinis.

Alij ergo dicunt, dilectionem Dei fuisse in Christo meritoriam, quia oriebatur à duplici scientia, scilicet à beata, & infusa; & licet pro ut oritur à scientia beata, sit actus necessarius; sed tamen provt oritur ab infusa est liber. Hæc etiam sententia displicet; quia idem actus non potest esse liber simul, & necessarius, eo quod oritur à diversis principiis: nam pone hominem cum prædeterminatione physica ad amandum; dicam ego, illum actum amoris esse liberum, quia licet provt à prædeterminatione, oriatur necessariò; sed tamen provt ab aliis principiis, non oritur necessariò. Hoc autem est destruere conceptum actus liberi, qui ideo est liber, quia ita oritur hic, & nunc ab omnibus suis principiis, ut is omnibus positus possit non elici ille actus.

Superest ergo duplex via ad ponendam libertatem in dilectione Christi erga Deum. Primam docet Suarez in præfati cum aliis, scilicet Christum habuisse duplicem actum

Card. de Lugo de Incarnat.

dilectionis Dei, alterum ortum ex visione Dei, & hunc necessarium; alterum ortum ex scientia infusa, & hunc liberum, & meritorium.

Hanc solutionem latè impugnat Vazquez. Primò quia per scientiam infusam non cognoscit Christus villo modo divinam essentiam. Sed hæc ratio supponit falsum, ut vidimus supra disp. 20. agentes de scientia infusa Christi. Secundo arguit, quia diversitas cognitionis non arguit diversitatem in amore, si obiectum sit idem, ergo ad illam duplicem scientiam non sequitur duplex amor Dei, sed unus.

Hæc etiam ratio in meis principiis non vrget; dixi enim ubi supra disputat. 20. sect. 1. ad scientiam infusam, & beatam debere subsequi diversum amorem Dei, quia eadem diversitas obiectiva, quæ relucet in cognitionibus, debet etiam relucere in obiecto amoris; cum ergo scientia infusa non terminetur ad quidditatem Dei in se ipsa, sed ad modum entis creati, idem Deus cognitus ad modum entis creati obicitur amoris consequuto ad scientiam infusam; amor autem beatifico obicitur Deus quidditativè cognitus, & in seipso.

Sed adhuc potest obiici non habuisse illum actum dilectionis sufficientem libertatem ad meritum, quia licet Christus potuerit non habere duos actus dilectionis Dei, sed unum ex scientia beata, sed tamen non potuit non diligere Deum: quod autem diligit uno, vel duplici actu, parum videtur referre ad meritum. Sicut si Christus non posset non acceptare mortem, parum referret ad meritum, quod acceptaret eam duplici actu, neque ideo diceretur meritorie mori.

Hæc obiectio probat ad summum, non reperiri in eo casu tantum fundamentum laudabilitatis, & meriti, quantum si nulla præcederet necessitas ad amandum Deum; non tamen negari potest, quin detur aliquod fundamentum laudabilitatis; nam sicut præcedente necessitate amandi, laudabile esset amare intensius; ita etiam laudabile est amare extensius, seu pluribus actibus, quam ex necessitate debeat.

Secunda via facilior ad ponendum meritum in dilectione Christi erga Deum, est dicendo, actum dilectionis ortum etiam ex visione beata terminatum fuisse necessariò ad Deum, & ad bona eius intrinseca; liberè verò ad bona extrinseca gloriæ, & honoris divini, quare prout terminatur ad hæc, potuit esse meritorius, licet non prout terminatur ad illa. Ita Valentia ubi supra dicto puncto 2. Salas 1. tom. in 1.2. tractat. 2. disputat. 7. section. 1. numero 6. & alij. Quos impugnat Suarez ubi supra, §. dico secundò. quia ille actus indivisibilis est, & simplex, provt terminatur ad intrinseca, & extrinseca bona Dei, ergo vel totus est necessarius, vel totus liber.

Sed facile respondetur, physice loquendo, totum illum actum esse liberum, quia potuit Christus, (& idem est de aliis Beatis) non elicere illum actum, sed alium diversum, quo diligeret Deum solum, quoad bona eius intrinseca; sed tamen moraliter, seu in æstimatione morali non est liber, prout terminatur ad

M m 2

bona

Via prima. Suarez.

Impugnatur. Vazquez.

Instantia.

Dilectio.

Via scientiæ.

Valent. Salas.

Impugnatur. a Suarior.

Solutio aethoris.

bona intrinseca: nam, ut sæpè diximus *disputat. precedenti*, ad laudabilitatem moralem, & ad fundamentum meriti in genere moris parum refert indifferentia circa hunc actum, & alium de eodem obiecto; sed solum attenditur, quod operans plus vult, & eligit, quam tenebatur ex necessitate precedenti, & secundum illum excessum tribuitur laudi, & merito, non secundum eum gradum, ad quem saltem in genere erat necessitatus. Beatus ergo ratione visionis Dei habet necessitatem diligendi Deum, quoad bona eius intrinseca aliquo actu; quare si Beatus solum velit Deo bona intrinseca, operatur quidem liberè, quia posset non elicere illum actum, sed alium circa bona intrinseca, & extrinseca: non tamen operatur laudabiliter, quia non potuit minus diligere Deum. Si verò velit Deo utraque bona, non solum operatur liberè, sed etiam laudabiliter, quia potuit minus diligere Deum; tribuitur autem laudi Beato excelsus ille, quo hic actus superat illum, quem posset habere circa sola bona intrinseca Dei; & in hoc sensu dicimus, illum actum non esse adequatè laudabilem; hoc est, non attendi ad totum eius obiectum, sed solum ad illud, quod potuit Beatus non velle. Sicut si haberes necessitatem dandi Petro nummum aureum, vel argenteum, tunc dando nummum aureum, dignus esses gratitudine, non ratione totius nummi aurei adequatè; hoc est, sed secundum quod excedit valorem nummi argentei, ad quem necessariò tenebaris; & licet datio totius nummi aurei esset physice libera, non tamen in genere moris; quia præcedit necessitas ad illud, vel ad aliquid inadèquatè æquivalens. Sic etiam in presenti. Quod verò communiter dici solet, actum amoris: beatifici non esse liberum, sed necessarium, non debet ita intelligi, ut Beatus ratione visionis necessitetur ad habendum hunc numero actum amoris; sed solum, quod ratione visionis necessitetur ad amandum Deum aliquo actu, siue volendo ei solum bona intrinseca, siue volendo etiam bona extrinseca; quæ potest dici necessitas quoad speciem, sed non quoad individuationem actus.

Secundò dubitatur, an Christus meruerit per actus supernaturales virtutum moralium infusarum, v. g. iustitiæ, misericordiæ, &c. Ratio dubitandi est, quia hi actus in Christo oriuntur ex imperio charitatis; non enim credendum est, Christum ieiunasse, vel orasse præcisè ex motivo temperantiæ, vel religionis, & non potius ex fine charitatis, ut Deo placeret; ergo in his actibus non erat meritum proprium, & formale, sed solum denominatiue ab actu charitatis, quo imperabantur; nam posito illo imperio, non poterant non elici, & per consequens totum meritum videtur stare in solo actu charitatis.

Dicendum tamen est, Christum per actus harum virtutum meruisse; quod supponunt communiter Theologi, & supponitur etiam ut certum in Bulla duorum Pontificum Pij quinti, & Gregorij decimi tertij contra Michaëlem Baium: cuius vigesima propositio damnata hæc erat: *Videtur, (inquit) insinuarè, quod opera iustitiæ, & temperantiæ, quæ Chri-*

stus fecit, ex dignitate persona operantis non traxerint maiorem valorem. Et videtur etiam insinuari ab Apostolo tribuente Christi meritum obedientiæ formaliter ad Philipp. 2. *Filius est obediens usque ad mortem; propter quod Deus exaltavit illum, &c.* Ratione autem probatur, quia nihil defuit his actibus ad rationem meriti.

Nec obstat ratio dubitandi suprà posita; adhuc enim potuit actus temperantiæ, verbi gratia habere propriam, & formalem rationem meriti dupliciter. Primò ex ratione generali, quæ dixi in materia de actibus humanis, & iterum insinuai *disputatione precedenti, sectione octava*, actum imperatum posse habere bonitatem formalem distinctam à bonitate actus imperantis; quia scilicet actus imperans non præscribit regulariter, fieri imperatum in hoc instanti determinato, & ideo posito imperante potest postea non sequi imperatus, de quo alibi. Secundò dici potest, hos actus non fuisse semper in Christo ex imperio charitatis: admitto quidem, Christum nunquam ieiunasse, verbi gratia, sine motivo charitatis; non tamen opus erat ingerere ex hoc motivo actum internum temperantiæ: sed potius proponebatur Christo bonitas obiectiva ieiunij; proponebatur item eius utilitas ad placendum Deo, &c. tunc vnicò, vel pluribus actibus immediatè volebat ieiunium externum, tum ut placeret Deo, tum propter bonum temperantiæ, tum ut satisfaceret pro hominibus, tum ut doceret temperantiæ suo exemplo, tum propter omnes alios fines honestos, qui sibi proponebantur: circa quos omnes exercebat immediatè actus multarum virtutum, vel fortasse vnicum actum perfectissimum pertinentem inadèquatè ad eas omnes virtutes, qui videtur perfectior modus operandi, & sine illo inconuenienti, quia (ut dixi in materia de fide) potest bene vnus actus simplex amplecti motiua duarum virtutum, non solum loquendo de actibus supernaturalibus, sed etiam de naturalibus.

Tertiò dubitatur, an Christus meruerit formaliter per actus naturales virtutum acquiritarum? dico formaliter, nam obiectiue seu denominatiue non est dubium, quin cuiusmodi actus potuerint esse materia meriti, quatenus potuit Christus per actum supernaturalem velle actus naturales, & eos referre in diuinam gloriam: & tunc meritum formale esset in actu supernaturali habente pro obiecto actus naturales. Difficultas est, an ipsi actus naturales habuerint proprium, & formale meritum distinctum à merito actuum supernaturalium? Hæc tamen difficultas est communis Christo, & omnibus iustis, Vasquez enim, & alij qui sentiunt, actus naturales hominis iusti esse meritorios de condigno premij supernaturalis, consequenter sentiunt hoc ipsum de Christo. Qui verò illud negant de Christo. Scio, aliquos negare in aliis iustis, & non in Christo; quia actus naturales in aliis iustis non oriuntur à gratia; in Christo verò oriuntur à personalitate Verbi, quæ est forma sanctificans. Sed hoc discrimen ad proprium

5
Difficultas
secunda.

Solutio.

Pius V.
Greg XIII.

tum parum refert. nam gratia non dignificat opera, quatenus in genere causae efficientis est eorum principium, ut suppono ex dictis supra disputat. 6. circa valorem operum Christi: sed quatenus in genere causae formalis reddit subiectum excellens ut ibi late explicatum est, cum ergo gratia habitualis, quantumvis reddat hominem gratum, & Filium Dei, non sufficiat, ut actus naturalis hominis grati mereatur aliquid supernaturale, nec de congruo quidem; consequens est, ut nec personalitas Verbi sufficiat ad dandum talem valorem actibus naturalibus Christi: nam haec incapacitas non tam provenit in aliis hominibus ex defectu gratiae, quam ex defectu ipsorum actuum, qui quia naturales sunt non habent ullam proportionem cum premio supernaturali: manet autem in actibus naturalibus Christi haec eadem improprio; ergo eadem incapacitas.

Quam etiam sententiam tenet Ioannes Vincencius relectione de gratia Christi, capit. 5. artic. 1. circa finem. Supponendo ergo ex sententia probabilis in materia de merito, hos actus naturales non esse in nobis meritorios premij supernaturalis, eo quod sint diversi ordinis; idem videtur dicendum de actibus naturalibus Christi, qui licet ratione dignitatis personae habeant multo maiorem valorem ad premium naturale; non tamen ad premium supernaturale; dignitas enim personae eleuat valorem operis iuxta ipsius capacitatem: operis naturalis ad premium maius naturale; operis vero supernaturalis ad premium maius supernaturale. In nostra tamen sententia facile dici potest de facto nullum fuisse actum honestum in Christo honestate formali, qui esset merò naturalis, quia ut diximus supra disputat. 20. sectione 1. omnis voluntas honesta Christi oriebatur etiam ex cognitione scientiae infusae, quam habebat de bonitate, & honestate obiecti; atque ideo licet oriretur partialiter ex cognitione naturali; erat tamen supernaturalis, & consequenter formaliter meritoria, & non solum denominatiue.

SECTIO II.

Quid Christus sibi meruerit?

Suppono primò, non meruisse vnionem hypostaticam, ut ex Augustino probatum est supra disputat. 8. agendo de causa meritoria incarnationis.

Suppono secundò, meruisse gloriam corporis, exaltationem sui nominis, & alia huiusmodi, ut cum communi Theologorum contra Caluinum docent Suarez, & Vasquez in presenti, & colligitur ex Scriptura Luc. 24. Nonne oportuit, pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ad Philip. 2. Factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen super omne nomen, &c. ad Hebr. 2. Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, & alibi saepe.

Suppono tertio, potuisse etiam diuinitus res ita disponi, ut Christus per sua opera mereretur beatitudinem essentialem ipsius animae.

Card. de Lugo de Incarnat.

mae; saltem si à principio ea caruisset, propterea de facto potuisset carere, si Deus vellet: non enim est maior repugnantia circa meritum gloriae animae, quam circa meritum gloriae corporis.

His suppositis dubitatur primò, an Christus meruerit etiam de facto visionem beatam?

Affirmant Antisiodorensis, & alij, apud Suarez in presenti disputat. 40. sect. 2. Cui etiam haec sententia videtur probabilis, quia nulla apparet repugnantia in eo quod meruerit visionem: neque enim repugnat ex eo, quod visio sit debita ratione vnionis; quia bene potuit eadem res dari duplici titulo, scilicet ex debito connaturalitatis, & ut premium meritorum; sicut de facto gloria corporis data est Christo utroque titulo. Neque item repugnat, ex eo quod visio data fuerit in primo instanti, quia bene potuit in illo primo instanti meritum praecedere pro aliquo priori naturae, & in signo posteriori dari premium; sicut de facto augmentum gratiae, quod datur iustis intuitu bonorum operum, datur in eodem instanti, quo fiunt ipsa opera; ergo ex nullo capite repugnat, Christum meruisse suam visionem: ergo verisimile est, meruisse eam de facto, quia melius est habere eam ex meritis, quam sine meritis si fieri potuit.

Contraria sententia est communis, & verior, quam docet S. Thomas in presenti, quaest. 19. artic. 3. & cum eo reliqui Theologi, quos vide apud Suarez ubi supra, & Vasquez disputat. 78. cap. 2. qui etiam referunt plures rationes parum efficaces, quibus haec sententia solet probari, quibus omis, una restat via probabilis ad probationem huius communis sententiae. Quia nimirum supposita vnione hypostatica, non potuit dari eiusmodi meritum saltem sine nouo miraculo, quod sine peculiari ratione, aut reuelatione non est credendum; Deus enim semper praesumitur operari iuxta rerum naturas. Natura autem vnionis hypostaticae haec est, ut petat sibi quasi passiones connaturaliter debitas, gratiam habitualement, habitus infusos, & visionem beatam, haec enim omnia debentur ex natura rei humanitati à Verbo assumptae; ergo haec omnia data fuerunt Christo independententer ab eius meritis. Probatur consequentia, quia ideo vnio hypostatica data fuit humanitati antecedenter ad merita, quia licet de potentia absoluta potuerit operatio praecedere subsistentiam, sed tamen ex natura rei id fieri non poterat: similiter autem quilibet actus supernaturalis supponebat ex natura rei habitum infusum, & quilibet habitus infusus supponebat gratiam; ergo ex natura rei gratia, & habitus infusi non potuerunt dari Christo propter merita. Vide quae diximus disputat. 8. sect. 1. ubi ex eo probauimus, Christum non meruisse vnionem hypostaticam de facto, quia nimirum ex natura rei humanitas exigit subsistentiam independentem ab operatione, & per consequens independentem ab operatione debuit eam accipere, sicut temperamentum, & alias passiones: ubi etiam dixi, non ob stare, quod habitus gratiae de facto detur in iustificatione, dependentem ab operatione, licet ex

M m 3 natura

Difficultas prima. Enodatur. Antisiod.

S. Thom. Vasquez.

natura rei operatio deberet dependere ab habitu; quia nimirum ante infusionem gratiae non datur aliquid in peccatore, quod exigit gratiae infusionem, & cui debeat gratia: ideo Deus non infundendo gratiam non videtur negare debitum aliquid naturale: at verò existente humanitate, iam debetur illi subsistentia aliqua independentem ab omni operatione. Sic etiam existente vnione hypostatica, iam debentur illi gratia, & habitus infusi independentem ab omni operatione, & per consequens, sicut de facto subsistentia non fuit ex meritis humanitatis, ita neque gratia, vel habitus infusi fuerunt de facto ex meritis Christi. Quae ratio applicari etiam potest ad lumen gloriae, & visionem beatam, quae pariter debentur vnioni hypostaticae, & per consequens debuerunt dari independentem ab omni alia operatione; sicut aliae passiones, & proprietates naturales datae sunt Christo independentem ab eius operatione.

11 Ratio autem à priori fundatur in ipsa natura meriti, quod licet de potentia absoluta possit à Deo acceptari pro aliquo premio aliunde debito; sed tamen ex natura rei meritum videtur exigere premium, quod aliàs non supponatur debitum: semper enim meritum exigit premium, quod cedat in maius commodum, & emolumentum merentis; magis autem cedit in eius emolumentum, si detur nouum premium, ultra ea, quae iam sunt debita, quam si aliquid ex debitis detur nouo titulo. Alioquin homo iustus, cui ratione suorum meritorum praecedentium debetur gloria ut quatuor, si eliciat opus aliud meritorium, praemiaretur condignè, dando ei eandem gloriam ut quatuor nouo titulo, quod quidem videtur durissimum; quia hoc opus posterius condignè exigit nouum gradum gloriae supra eos, qui iam debentur. Similiter ergo exigit premium diuersum ab iis, quae iam debentur praemiante ut passiones, & proprietates; ergo eo ipso, quod aliquid mihi iam debeat siue ut premium, siue ut passio, vel proprietas, &c. iam non potest ex natura rei cadere sub aliud meritum meum, sed debet dari independentem ab omni mea operatione; ergo Christus ex natura rei non potuit mereri gratiam, habitus, visionem beatam, &c. quia haec omnia iam supponebantur debita tanquam passiones, & proprietates consequutae ad vnionem hypostaticam.

12 Dices, gloria corporis debetur Christo ratione vnionis, & ratione beatitudinis suae animae; & tamen de facto datur etiam propter merita; ergo visio beata, licet fuerit debita ratione vnionis, potuit tamen de facto dari propter merita.

Excluditur. Respondeo negando consequentiam, quia licet gloria corporis deberetur ex natura rei ratione vnionis; ceterum de facto Deus, volente ipso Christo, non attendit ad eum titulum, nec de facto dedit illam ratione illius debiti, exigentiae connaturalis, ut ex Cyrillo probat Vázquez *1. part. disputat. 89. num. 109. & sequenti*, sed praecise propter merita; alioquin non daturus saltem ex vi praesentis decreti. At verò gloriam animae, & cetera alia dona nemo dixit, data non fuisse ex debito connaturalitatis ratione vnionis: nec est aliquid funda-

mentum ad hoc asserendum; ergo non potuit ex natura rei pendere collatio horum donorum à meritis ipsius Christi.

13 Vgobis, quia gloria corporis saltem debebatur iam ex primo merito Christi, & tamen data fuit etiam propter alia merita posteriora; ergo potest aliquis iterum mereri id, quod iam alio titulo sibi debebatur.

14 Respondeo eodem modo, licet singula merita Christi de se haberent valorem sufficientem, & superabundantem ad merendam illam gloriam; de facto tamen consentiente ipso Christo, noluisse Deum acceptare singula merita pro illo premio, sed omnia simul per modum vnus meriti adaequate, atque ideo per primum meritum nondum debita erat illa gloria corporis, & per consequens poterat adhuc Christus eam mereri de condigno per alia merita sequentia.

15 Sed contra obiici adhuc possunt alia exempla, in quibus videtur aliquis mereri iterum de condigno id, quod iam prius omnino meruerat, ita ut accipiat illud idem propter plures titulos. Nam in primis Beatus, qui habet dotes gloriae corporis, scilicet impassibilitatem, agilitatem, &c. habet illas in premium suorum meritorum & licet per priora merita meruerit illas adaequate, & condignè, ita ut absque aliis meritis datae fuissent, adhuc meruit illas per alia merita subsequenter; non enim datur de facto propter sola priora merita absque vilo respectu ad posteriora, sed propter omnia ipsius merita. Secundò damnatus habet in inferno oblationem, quae quidem est poena praecedentium peccatorum; & quidem licet per primum peccatum mortale eam condignè meruerit, adhuc meruit eandem per posteriora peccata, & nunc haec poena infligitur propter illa omnia peccata. Tertio potest adhiberi exemplum clarius in poena damni, quam patitur idem damnatus; haec enim tota debetur propter primum peccatum mortale, ut constat; & tamen per peccata posteriora meruit peccator iterum eandem poenam, nec enim dici potest, illam poenam de facto correspondere solum primo peccato, & non aliis; ergo fatendum est, quod idem premium etiam possit dari propter secundum meritum, licet iam deberetur propter primum: eadem enim est ratio de premio, & de supplicio, nam si premium debet asferre aliquid boni ultra id, quod iam habebat praemiandus; sic poena debet asferre aliquid mali ultra id, quod iam habebat puniendus.

16 Ad haec exempla responderi potest. Ad primum dicimus, illas dotes gloriae, impassibilitatem agilitatem, &c. non tam esse premium immediatum, quam mediatum, hoc est, proprietates, vel quasi passiones consequutas ad premium immediatum, quod est gloria animae, & hoc quidem premium non correspondet idem prioribus, & posterioribus meritis, ut constat, sed diuersum, nempe diuersus gradus gloriae, aut visionis beatae: in quo premio immediato seruari debet illa regula, quod scilicet detur pro premio aliquid bonum ultra id, quod iam habebat praemiandus. Proprietates autem illae, quae postea oriuntur, non possunt multi

multiplicari, quia non potest Beatus habere duplicem impassibilitatem, aut subtilitatem, & ideo non mirum, si eadem dotes correfpondeant ut premium mediatur utrique meritis, quia hoc non est aliud, quam oriri ex duplici premio diuerso, quod fuit premium immediatum utriusque meriti.

Ad secundum exemplum fatemur, eandem esse rationem quoad hoc in poena, & in premio; atque adeo sicut secundum meritum exigit nouam premium diuersum ab eo, quod iam debetur, propter meritum praecedens; sic secundum peccatum exigere nouam poenam diuersam ab ea, quae iam debetur, propter peccatum praecedens: nam si hoc non esset, posset puniri condigne mille peccata mortalia, posita solum poena lenius, quae respondebat primo peccato, si tamen illa eadem poena reddatur pluribus titulis; quod quidem ex se apparet valde absurdum, cum aequalitas iustitiae punitivae exigat, quod maiori, & grauiori poena puniatur qui milles peccauit, quam qui semel.

Hoc ergo supposito, dico, illam poenam oblationis, quae adducitur in exemplum, non esse poenam immediatam, sed mediatam; ortam etiam quasi proprietatem, & passionem debitam tormentis aeternis; quilibet enim gradus tormenti aeterni affert secum illam impotentiam conuersionis, quia alioquin non esset aeternum tormentum. Possumus etiam addere, oblationem etiam, in rigore loquendo, non esse omnino aequalem in omnibus damnatis; cum enim illa includat odium Dei, ex quo prorumpunt in offensam continuum illius; hoc autem odium non fit aequale in omnibus: maius enim odium habet Dei ille, qui atrociora tormenta experitur à Deo sibi inflicta, quam qui minus atrocia; consequens est, ut in ipsa etiam oblatione, & affectu peccandi sint gradus diuersi iuxta inaequalitatem damnationis, & poenae; licet omnes sint simpliciter oblationati.

Ad tertium exemplum de poena damni admittimus, illam esse aequalem in omnibus damnatis, si sermo sit de mera priuatione gloriae secundum se; fatemur etiam, prouenire ex omnibus, & singulis peccatis; caterum illa non est ex eo genere poenarum, de quibus in praesenti loquimur. Pro quo sciendum est, poenas in primis alias esse, quae post delictum praenitium infliguntur à Superiore, & decernuntur per sententiam, & de his loquimur in praesenti, dum dicimus, poenam, quae hoc modo decernitur, debere esse aliquod malum diuersum, ultra ea, quae iam aliunde patiebatur delinquens. Aliae vero sunt poenae, quae absque villo iudicis decreto, aut sententia sequuntur tamquam effectus necessarij ex ipso delicto: & talis est carentia gratiae habitualis, quae necessariò sequitur ex peccato, ita ut etiam si per impossibile Deus ignoraret peccatum; ipsum tamen peccatum de se expelleret propria efficacia gratiam, sicut actus odij expellit actum amoris propter repugnantiam formalem quam habent inter se, & de hoc genere poenarum non procedit regula supra tradita: propter multa enim, & diuersa peccata homo caretet gratia habituali, cum omnia illa

habeant repugnantiam cum gratia. Ratio autem differentiae inter utrumque genus poenae est clara, quia illa, quae sequitur necessariò tamquam effectus ex peccato, non oritur ex motiuo iustitiae, sed ex necessaria connexionne, quam determinatè habet cum peccato: illa autem, quae oritur ex decreto, & determinatione iudicis, oritur ex motiuo iustitiae, & per consequens debet talis esse, quae sit utilis ad finem iustitiae, nempe ad deterrendos homines à peccatis; ad hunc autem finem debet esse noua, & diuersa poena pro singulis peccatis; parum enim deterrentur homines à secundo, vel tertio peccato committendo post primum, si sciunt, non fore infligendam nouam poenam pro secundo, & tertio, sed eandem diuersis titulis. Debet ergo iustitia statuere nouam poenam diuersam pro diuersis peccatis. Carentia autem gratiae non pendet, ut dixi, ex motiuo iustitiae, sed oritur necessariò à quocumque peccato, & per consequens carentia etiam gloriae, quae oritur ex carentia gratiae, est poena peccati consequuta per modum effectus necessarij, quare potest eadem sine inconuenienti correfpondere diuersis peccatis.

Dices, licet peccatum actuale, quando fit, expellat necessariò gratiam, postea tamen, quod non restituatur illa gratia, non fit nisi interueniente voluntate libera Dei, qui propter peccatum praeteritum, & in poenam illius vult non restituere gratiam peccatori; quare in tempore sequenti illa carentia gratiae videtur iam esse ex illo genere poenarum, quae requirunt decretum iudicis, & procedunt ex motiuo iustitiae: & tamen eadem carentia gratiae correfpondet primo, & secundo peccato, ac aliis omnibus, ergo regula illa non est vniuersaliter vera.

Respondetur in primis, negationem illam restitutionis gratiae tempore sequenti magis pertinere ad rationem culpae, quam poenae; nam culpa habitualis in ratione habitualis, (ut videmus suo loco) addit supra peccatum praeteritum negationem gratiae, & omnis alterius condonationis diuinæ; quare ipsamet carentia gratiae includitur ex parte in culpa habituali ut habituali. Non ergo procedit, in rigore loquendo, ex motiuo iustitiae punitivae: nam pro illo priori naturae Deus est indifferens adhuc, ut in hoc instanti remittat peccatum praeteritum, & restituat gratiam, vel non restituat; ergo pro illo priori adhuc non intelligitur homo positivè peccator, cum sit indifferens, ut sit in hoc instanti peccator, vel iustus; ergo pro illo priori non intelligitur adhuc homo dignus positivè poena, cum adhuc sit indifferens ut remittatur ei culpa, & poena, & per consequens, ut non sit dignus poena; ergo Deus non habet pro illo priori motiuum proprium, & positivum, ex vi cuius possit propter dignitatem hominis, & ex zelo iustitiae punire illum per carentiam gratiae; nam per ipsammet carentiam gratiae continuatam redditur homo odibilis, & dignus aliis poenis.

Sed quidquid sit de hoc, certum est, carentiam gratiae non esse poenam eiusdem rationis, sicut est poena, sensus; aliae enim sunt poenae ortae ex dignitate delinquentis, qui ideo

18
Effugium.19
Pracluditur.

punitur, quia dignus est qui puniatur; alie vero sunt pœnæ ortæ non tam ex dignitate, quam ex indignitate delinquentis, qui ideo patitur illam pœnam, non tam, quia dignus est illo malo, quam quia indignus est bono, quo priuatur; per delictum enim redditur subiectum ineptum, & quasi incapax ex se ad illud donum recipiendum, quatenus ponitur titulus nouus auertens ab amore, & à beneficentia erga illum hominem. Sic etiam in humanis, si aliquis, qui apud Regem plurimum gratia valebat, grauiter delinquat, amittit Regiam gratiam, & incurrit alias etiam positiuas pœnas. Carentiam tamen regie gratiæ incurrit, quatenus se indignum fecit regia amicitia, & beneuolentia. Cæteras pœnas, quatenus positiuæ sit dignus illis ad correctionem suam, & ad aliorum exemplum. Hinc est, quod si pluries delinquat, fit pluries indignus pluribus titulis regia amicitia, alie autem pœnæ multiplicantur iuxta multitudinem delictorum. Sic peccator patitur carentiam gratiæ, quam consequitur pœna damni, & patitur pœnam sensus: hanc quia dignus est, qui puniatur, & eo grauiorem, quod pluribus peccatis eam meruit; illam verò, quia indignum se reddit dono gratiæ, & impedimentum appositum amori, & beneuolentiæ Dei, reddendo se odibilem. Quare non repugnat, eandem carentiam gratiæ correspondere pluribus peccatis, quia omnia illa, & singula reddunt hominem odibilem, & impediunt sufficienter amorem, & beneuolentiam Dei, erga illum. Nostri ergo doctrina non procedit in hoc genere pœnæ, quia hæc pœna potest bene eadem prouenire ex pluribus delictis, eo quod non tam requirat sententiam, & decretum iudicis statuentis aliquam pœnam, quam inamabilitatem quandam positiuam, (vt ita dicam) ipsius delinquentis, qui se indignum reddit illo beneficio, & positiuè inamabilem; non repugnat autem, aliquem pluribus titulis reddi inamabilem, & indignum aliquo dono. Loquimur itaque solum de illo alio genere pœnæ, quod non prouenit ex indignitate, sed ex dignitate, qua delinquens non solum non est aptus beneficiis, sed exigit affici aliquo malo superaddito iuxta quantitatem, & grauitatem culpæ, & hanc dicimus, debere esse pœnam diuersam pro secundo peccato; sicut etiam præmium diuersum pro secundo opere bono, nec sufficere, quod detur idem præmium propter diuersos titulos.

20
Solutur diffi-
cultas secun-
da, an Chri-
stus meruerit
de facto con-
tinuationem
sue beatitu-
dinis, & sua
gratiæ habi-
tualiis.
Suarez.

Hinc infertur decisio alterius dubij, an Christus meruerit de facto continuationem suæ beatitudinis, & suæ gratiæ habitualis? P. Suarez supra disputat. 10. session. 4. §. hæc responsio, affirmat, de conseruatione vnionis hypostaticæ, & per consequens videtur idem implicite concedere de conseruatione visionis beatæ, quia hæc omnia licet alioquin essent debita, potuerunt tamen conferri ex alio titulo ratione meriti præcedentis. Communis tamen sententia negat, meruisse continuationem beatitudinis, & vnionis, & probatur ex dictis, quia hæc continuatio erat debita primæ collationi vnionis, & beatitudinis; er-

go sicut Christus non meruit proprietates naturales debitas connaturaliter suæ naturæ; ita nec dona supernaturalia connaturaliter debita. Confirmatur ex doctrina Patrum, qui in vniuersum negant, Christum fuisse sanctificatum per sua opera. Ita Dionysius Alexander & Basilii adducti à Vasquez supra disputat. 41. cap. 3. qui planè affirmant, Christum nec labore, neque exercitatione fuisse sanctum, sed natura: si autem Christus suis operibus meruisset conseruationem vnionis, vel gratiæ habitualis, verè dici posset, Christum exercitatione, & labore habuisse sanctitatem, quam habuit toto tempore vite, præterquam in primo instanti, sicut verè dicitur labore, & meritis comparasse beatitudinem corporis; quod tamen alienum omnino videtur à modo loquendi horum Patrum.

Hæc sententia regulariter loquendo vera videtur propter rationem positam: excipiendi tamen sunt casus illi speciales, in quibus fuerit specialis ratio, prout supra disputat. 22. sess. 2. vidimus, esse fortasse specialem rationem ad dicendum, quod per actus tristitiæ meruerit saltem partialiter Christus continuationem suæ beatitudinis pro eo instanti; regulariter tamen regula assignata videtur ex natura rei procedere, & obseruari debere, vbi non est ratio specialis propter quam Deus eum ordinem mutasse dicatur.

Obiici potest S. Thomas infra quest. 34. artic. 3. in corpore, vbi significat, Christum fuisse sanctificatum ex propria dispositione. Ceterum ipse S. Doctor in præsentis artic. 3. longe aliter sentit, indicat enim, nullo modo potuisse Christum mereri gloriam animæ, nisi illa aliquando caruisset. Quidam ergo dicunt, S. Thomam in illo loco questionis 34. loquutum fuisse de mera dispositione, quæ licet antecederet, non esset meritoria. Alij, & fortè melius sentiunt, S. Thomam loquutum de dispositione non antecedenti, sed consequenti; & ideo non dixisse, sanctificatum fuisse Christum ex propria dispositione, sed sanctificatum fuisse secundum proprium actum; hoc est, accepisse sanctitatem non otiosam vt pueros, sed operantem in ipso primo instanti, quo fuit sanctificatus.

Tertiò dubitatur de gloria corporis: de qua certissimum est, fuisse datam Christo propter merita, vt constat ex locis Scripturæ supra adductis, & ex communi consensu Patrum, quos affert Suarez in præsentis disputat. 40. session. 3. vbi docet, non posse hanc veritatem sine temeritate negari. Vnde etiam infertur, Christum meruisse resurrectionem suam, exaltationem sui nominis, &c. iuxta illud Apocal. 5. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem, id est, quia occisus est, meruit agnosci, & honorari, tamquam verus Deus, meruit etiam sceptrum, & dominium in vniuersum orbem, & alia huiusmodi, de quibus videantur Suarez, & Vasquez.

Vltimò aduertendum est, licet Christus non meruerit visionem beatam, vel gratiam habitua- lem, etiam quoad continuationem; sed tamè meruisse anticipationem horum omniū. nam sicut

in dicta disputat. 8. diximus, Christum meruisse per opera postea exhibita nasci ex Virgine, & per consequens meruisse anticipationem Incarnationis, quoad illos annos, vel dies intermedios; sic etiam dicendum videtur, meruisse per opera sequentia conceptum fuisse ex Virgine Maria tali tempore, & per consequens, habere gratiam, vel visionem beatam ex illo tempore, & consequenter meruisse non visionem, vel gratiam simpliciter, sed anticipationem visionis, & gratiae; in quo nullam apparet inconueniens, ut in praedicto loco latè explicatum est.

SECTIO III.

De his, quae Christus alijs meruit.

14 **S**uppono, meruisse Christum nobis remissionem peccatorum; gratiam sanctificationem, & omnia dona, quae inde consequuntur; in quo nulla est controuersia; suppono etiam, meruisse nobis dispositiones illas, quibus ad gratiam iustificationis disponimur, de quibus licet aliqui dubitauerint; sed iam est concors Theologorum sententia, haec omnia dari per Christum, quod ex Scriptura, Conciliis, & Patribus manifestè colligitur. Videatur Suarez in praesenti disputat. 41. sect. 2. & Vasquez disputat. 77. qui latè, & eruditè hoc dogma confirmant. Suppono item, meruisse Christum non solum auxilia efficacia, quae dantur ad haec omnia, sed etiam auxilia sufficientia, & ea etiam, quae dantur ad vitandum peccatum, saltem quando ex propriis viribus non poterat vitari; haec enim omnia sunt ex gratia per Christum; de quo dixi in materia de Gratia, ubi est proprius locus.

Difficultas prima est, an etiam Angelis meruerit Christum gratiam, & sanctitatem, quam habuerunt, vel donum perseverantiae, & praeservationem à peccato.

Affirmat Suarez cum aliis in praesenti disputat. 42. ubi multa profert Scripturæ, & Patrum testimonia pro sua opinione.

15 Communis tamen sententia negat, meruisse Christum Angelis, nisi aliquas illustrationes, & alia dona accidentaliter, gaudium item de reparatione suorum sedium per redemptionem hominum, & his similia. Hanc docent communiter ferè omnes Theologi, quos refert, & sequitur Vasquez supra disputat. 49. per totam. ubi pro hac parte adducit, & ponderat plura testimonia Scripturæ, & Patrum; sufficiat Bernardus sermone in feria 4. hebdomadae sanctae, in haec verba: Passio Domini data est homini, quia alteri dari non potuit: numquid Angelo? sed ille non indiguit: numquid diabolo? sed ille non resurgit, &c. Ratione item probatur ex his, quae diximus supra disputat. 7. ubi ex communi sententia videmus. Christum ita venisse in remedium peccati, ut homine non peccante, non venisset ex vi praesentis decreti: ex hoc autem fit, decretum Incarnationis supponere praevisionem peccati; ergo ante praevisionem peccati non fuerunt praevisa merita Christi, quorum intuitu posset tunc dari aliqua gratia vel gloria: sed ante praevisionem peccati Adæ da-

ta fuit gratia Angelis, ex vi cuius alij perseverarunt, alij non perseverarunt, sed ceciderunt, & post suum lapsum fuerunt causa homini, ut laberetur; ergo gratia illa data Angelis fuit omnino independens à meritis Christi, qui pro illo signo nondum fuerat decretus, nec videbatur absolute futurus. Mitto alias rationes, quas congerit Vasquez, quia non sunt adeo efficaces.

Obicit Suarez pro se plura loca Patrum, quae facillè explicat Vasquez: nam Patres solum dicunt, Angelos fuisse iustificatos per filium Dei, per Christum, per Verbum; hoc autem non debet intelligi de Christo ut homine, sed de Christo, ut Deo, ut sic enim auctor est omnis gratia, & sanctitatis, quam homines, vel etiam Angeli adepti sunt. In quo sensu Bernardus sermone 1. de circumfione, dicit: Idem quippe, & Angeli saluator, & hominis. Sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creature: ubi satis ostendit, Angelos non receperisse salutem à Christo, ut homine, sed ut Deo. Vnius Gregorij verba videntur difficilia. reg. 1. cap. secundus, super illa verba, neque enim est alius extra re. Subauditur sanctus, (inquit Gregorius) extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono virginis sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat. Et postea subiungit: Si ergo Angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt. Hæc Gregorius, quæ Vasquez facillè explicat de filio Dei, ut Deo, à quo Angeli etiam acceperunt suam sanctitatem. Sed obicit Suarez verba proximè sequentia eiusdem Gregorij, qui de Christo etiam ut homine videtur loqui, sic enim concludit: Et quia unigenitus Dei Deus est; extra eum non est aliquis, quia nemo electorum nisi in ipso est. Quod sic refertur ad divinitatem eius, ut nequaquam intellectum humanitatis eius evacuet. Respondet Vasquez in his verbis, iam esse sermonem de solis hominibus electis. Fortasse dici etiam potest, solum exigere Gregorium ibi in electis intellectum humanitatis, hoc est, fidem aliquam Incarnationis, hanc enim reddit rationem: Quia iustus (inquit) esse non potest, qui fidem non habet divinae Incarnationis. Alia testimonia, & rationes leuiore bene dissolvit Vasquez, nec multa indigent solutione.

27 Cum hac communi sententia ego libenter consentio, quod attinet ad primam Angelorum sanctificationem propter fundamenta adducta. Non est tamen ita facillè, quod non possit tribui meritis Christi donum perseverantiae, quam boni Angeli acceperunt: de hoc enim non procedit ratio supra adducta. Quia videtur, potuisse Deum velle independentè à Christo futuro dare omnibus Angelis prima auxilia, quibus se disposuerunt ad primam gratiam habitalem accipiendam: postea verò in secundo instanti posito præcepto illo, contra quod peccaverunt, & viso iam peccato Luciferi; eaque occasione præviso iam peccato Adæ, potuit tunc Deus velle aduentum Christi reparatoris, atque ex meritis eiusdem Christi iam prævisi potuit tunc velle alijs Angelis bonis qui nondum

nondum ceciderant, dare auxilia, & gratiam efficacem ad resistendum suasionibus Luciferi, qui eos ad sui imitationem sollicitabat: quo pacto intelligitur bene, quomodo perseuerantia bonorum Angelorum fuerit ex meritis Christi, licet prima gratia non fuerit propter Christum, & concilientur loca Patrum, quorum aliqui volunt, Angelos habuisse gloriam propter Christum, alij verò id videntur negare.

28 *Eusebio.* Dices, pro eodem signo, pro quo Lucifer peccauit, intelliguntur Angeli boni obseruasse præceptum, & per consequens conseruasse gratiam; omnibus enim simul fuit propositum, & intinatum præceptum; contra quod Lucifer, & aliqui alij peccarunt, ceteri autem illud libenter amplexi sunt; sed pro illo signo nondum erat decreta incarnatio, ergo non acceperunt ex Christi meritis donum perseuerantiae.

Ocluditur. Responderi posset, morulam illam, seu instans, quo peccarunt Angeli, non fuisse vnicum instans indiuisibile nostri temporis, vt suppono; sed morulam aliquam diuisibilem, in qua factum fuit praelium magnum in caelo, non alijs gladiis, aut armis, quam rationibus, & argumentis contententibus singulis trahere ceteros ad suam sententiam. Quare non videtur fuisse necessarium, quòd omnes eodem temporis instanti statuerint vltimò, quid sibi esset in illo casu faciendum; potuerunt enim aliqui diutius deliberare, postquam Lucifer ceciderat, quos ipse Lucifer sollicitaret deinde, vt ad suas partes transirent. Potuerunt etiam illi ipsi, qui iam præceptum acceperant, mutari postea in peius, & finire se Luciferi rationibus allici, durante adhuc morula viæ Angelicæ, quæ fuit diuisibilis, vt dixi. Nam licet Angelus fortasse habeat moralem inflexibilitatem ex se, postquam semel aliquid sibi firmiter statuit; hoc tamen intelligi debet, quando postea nouæ rationes, aut motiua non appareant; iis enim denuo apparentibus mutatur, vt constat in iis, qui in primo creationis instanti dilexerunt Deum super omnia, & acceperunt gratiam habitualement: postea verò ab illo proposito recesserunt propter noua motiua, quæ prius non fuerant, vt dixi in materia de Angelis. Sic ergo potuerunt etiam Angeli initio illius morulae obedire Deo, & postea Luciferi argumentis adducti, deficere ab inchoata obedientia. Vtque igitur modo potuerunt accipere donum perseuerantiae ex meritis Christi iam decreti post peccatum Luciferi; scilicet primò, quatenus ipsis adhuc deliberantibus, & nondum aliquid decernentibus datum fuit ex meritis Christi auxilium congruum, vt Deo obedirent, & Luciferò resisterent. Secundò quatenus ij etiam, qui iam obedientiam professi fuerant, acceperunt ex eiusdem Christi meritis gratiam, qua ab incepta obedientia non recederent.

29 Ceterum hic modus tribuendi Christi meritis perseuerantiam bonorum Angelorum, adhuc videtur satis difficilis, si enim in decursu illius morulae poterant Angeli, qui iam semel adhaeserant Michaëli, & Deo obedierant, ad-

huc Luciferi rationibus flecti, & ad eum transfugæ transire, & ideo, quòd hi, qui perseuerarunt, non defecerint, habuerunt ex Christi meritis, sequitur, quòd in eadem morula potuerunt è contra ij, qui iam semel Luciferò adhaeserant, Michaëlis melioribus rationibus flecti, & Luciferò relicto ad Dei castra transire. Cur enim Angelus viator durante tempore viæ magis posset à bono consilio, & deliberatione ad malum flecti, quàm è contra à mala ad bonam, & salutarem? Constat autem, nullum ex iis, qui semel Luciferò consenserunt & peccarunt, conuersum esse postea ad penitentiam, vt colligitur ex verbis illis Petri Apostoli epist. 2. cap. 1. *Deum Angelis peccantibus non perperit, sed videntibus inferni detrahitos in tartarum tradidit cruciandos.* Quæ verba cum vniuersalia sint, videntur supponere, Deum nullis Angelis peccantibus pepercisse. Ratio autem videtur esse, quòd licet Angelus apparente nouo motiua possit mutari, & flecti; id tamen saltem moraliter fieri non potest, non apparente motiua nouo. Omnes autem Angeli simul cognouerunt præceptum Dei sibi de nouo impositum, & motiua illa, quibus ad defectionem tentabantur: non ergo habuerunt postea motiua nouum, quòd à consilio semel suscepto flecterentur; neque etiam propositis semel motiuis expectarunt, vt decernerent; hæc enim dilatio est propria hominum, qui maiori attentione examinare volunt, & ponderare vim rationum, quas primo aspectu penetrare non valent; quod tamen Angelo non est necessarium, cum statim comprehendat quiddam post diuturnam considerationem potuisset perpendere. Non ergo fuit illis necessaria gratia per Christum ad perseuerandum, ne caderent, postquam semel Deo obedierant, cum perseuerantia esset illis moraliter necessaria; nec etiam potuit illis esse vtilis gratia per Christum, ne caderent, cum Luciferò ab initio, cum non esset adhuc Verbi incarnatio futura pro eo signo, in quo Lucifer primò defecit.

Potuerunt tamen Angeli habere propter Christi merita aliquem gradum gratiæ habitualis, vltra illum, quem in prima sanctificatione acceperunt: nam post peccatum Luciferi, & decretam iam Incarnationem, potuit Deus propter Christi merita iam præiusta dare Angelis bonis, qui adhuc in statu viæ erant, & propugnabant causam, & auctoritatem Dei contra Luciferum, & eius socios, aliquod auxilium ad aliquem, vel aliquos alios actus bonos circa aliquam materiam honestam, quibus augerent meritorie habitum gratiæ; quare illud augmentum gratiæ, & gloriæ, debetur etiam meritis Christi, & hoc titulo potest verificari quod dixit Cyrillus Alexandr. *homilia 1. in Leuit. ad medium*, non solum pro terrestribus, sed etiam pro celestibus oblatum esse Christum Iesum.

Hinc inferitur, eodem modo loquendum esse de prima gratia, quam accepit primus parens in statu innocentiae; nam licet hæc reparata fuerit ex meritis Christi; sed tamen prima eius collatio non potuit esse ex Christi meritis, quia pro eo statu nondum erat decreta incarnatio.

Incarnatio. Dixi, primam gratiam Adæ non fuisse ex Christi meritis, quia non nego, potuisse etiam Adamum in eo statu habere aliquem gradum gratiæ ex meritis Christi. Habuit quippe tunc fidem Christi venturi iuxta veriorē sententiam, quæ fides iam supponebat decretum Incarnationis, & per consequens supponebat etiam futurum peccatum ipsius Adæ, licet ipse Adam non cognosceret pro tunc explicitè occasionem aduentus Christi, & per consequens nec suum peccatum futurum. Cum ergo illa fides supponeret Christum, & eius merita futura, potuit bene dari illa fides ex Christi meritis, & per consequens gradus gratiæ, qui intuitu illius fidei datus fuit in Adamo.

P. Valquez suprà disputat. 12. cap. 3. & dicta disput. 49. cap. ultimo, concedit in primo parente fidem Incarnationis; negat tamen, fuisse ex Christi meritis, quia ex Scriptura constat, Christum venisse de facto ut reparatorē, & redemptorē; ergo nihil datum fuit ex ipsius meritis, quod non pertineat ad gratiam redemptionis; ergo nullum donum datum fuit Adæ in statu innocentie ex Christi meritis, quia illud non pertinet ad redemptionem.

Hæc ratio non videtur omnino efficax, quia licet constet ex Scriptura, Christum venisse ut redemptorē; & licet Patres manifeste dicant, Christum non venturum, si defuisset peccatum: ceterum non negant, meruisse de facto aliquid præter reparationem hominis lapsi: nam de facto meruit sibi gloriam corporis, quam non mereretur de facto, nisi venisset ad redimendum hominem: non tamen fuit redemptor sui ipsius. Sic ergo dici posset, Christum venisse ex occasione solius peccati; sed tamen postquam ex hac occasione venit, potuisse mereri aliqua alia, quæ non pertinerent ad redemptionem. Potuit ergo illa fides dari primo parenti ex meritis Christi, quæ illa fides præsupponebat, an verò de facto ita contigerit, ut daretur ex Christi meritis, nihil potest certò affirmari: nullum tamen est fundamentum ad negandum.

Secunda difficultas est, quomodo Christus meruerit gratiam antiquis Patribus? Supponimus enim, omnem gratiam datam fuisse illis ex Christi meritis, quia non est datum aliud nomen hominibus, in quo salui fiant, imò & gratiam illam, qua se disposuerunt, ut fierent Christi progenitores datam fuisse ex meritis eiusdem Christi, vidimus suprà disputat. 8. Difficultas ergo est, quomodo Christus applicare potuerit sua merita pro gratia, quæ iam tunc temporis data fuerat Patribus; meritum enim videtur ex natura sua non posse applicari pro aliqua re iam obtenta, sed pro obtinenda.

Aliqui volunt, Christum per gratiarum actionem meruisse salutem Patribus antiquis, quatenus omnia sua merita obtulit in gratiarum actionem pro beneficiis iam collatis Patribus antiquis. Hoc tamen difficile est, quia gratiarum actio ex natura sua supponit donum, pro quo gratiæ aguntur; ergo non potest meritorie impetrare idem donum. Probatur consequentia, quia meritum necesse est,

quoddam saltem in præiudicio antecedit ad præmium, hoc est, quoddam præmians ex visione meriti moueatur ad dandum præmium; ergo cum gratiarum actio præsupponat iam datum illud donum, non potest mouere ad dandum illud.

Alij volunt, Christum applicuisse sua merita pro salute antiquorum Patrum per modum solutionis, data enim fuerat gratia Patribus in spe meritorum Christi; Christus ergo postea soluit, quoddam datum iam fuerat ante solutionem pretij.

Hoc tamen ferè patitur eandem difficultatem, nisi ampliùs explicetur. Nam solutio non minùs supponit datam gratiam Patribus, quam gratiarum actio; velle enim soluere debitum, supponit debitum. ergo voluntas soluendi non potuit meritorie impetrare gratiam Patrum, quia hæc gratia iam supponebatur data ante visionem illius voluntatis soluendi. Quare licet negari non possit, Christum re ipsa suis meritis soluisse pro peccatis Patrum antiquorum, & pro gratia illis data? non tamen videtur meruisse illam gratiam Patrum per voluntatem formalem soluendi, sicut nec per gratiarum actionem, cum eadem sit ratio repugnantia in utraque.

Restat ergo duplex via, qua Christi merita potuerint Patribus præcedentibus prodesse. Prima est, si dicamus, Christi merita non indignisse peculiari applicatione Christi, ut prodesse antiquis Patribus, sed ipsa ex se habuisse condignitatem, & valorem sufficientem, ut à Deo acceptarentur, (etiam ipso Christo non applicante) pro salute horum, vel illorum hominum, quam Deus propter illa merita dare vellet. nam licet omne meritum ex natura sua primò ordinetur ad præmium, quod detur ipsi merenti; & deinde ad præmium dandum alteri ex applicatione ipsius meritis: si tamen merens non indigeat præmio sibi, neque ita applicet pro alio, ut limitet, vel excludat ceteros; tunc meritum redundare etiam potest ad alios, qui ad merentem attinent, licet pro illis non fuerit applicatum ab operante. Sic enim videmus in humanis, Reges quotidie filiis, & posteris beneficia conferre propter præclara merita parentum, qui fortasse posterorum non meminerunt, nec merita pro ipsis applicuerunt; sed tamen merita illa condignè extenduntur ad personas coniunctas, in quibus videtur ipse merens aliquo modo remunerari. Sic etiam videmus, satisfactiones iustorum, quibus ipsi non indigebant, reponi in thesauro Ecclesiæ, & earum intuitu condonari postea, quando per indulgentias applicantur debita aliorum, pro quibus illi non applicuerunt suam satisfactionem: sed sufficit, hos etiam cum ipsis communicare in eadem natura, & progenie ex vno parente, ut sine alia applicatione possint condignè acceptari merita, & satisfactiones vnius non indigentis, pro alio, qui indigeat. Hanc solutionem docet, & confirmat P. Ferdinandus de Salazar in lib. de conceptione Virginis, cap. 24. §. 12. num. 151. & videtur proculdubio probabilis.

Secunda

36
Quæ ratio
Christi merita
prodesse potest
iustis Patribus
præcedentibus.

Secunda via esse potest, dicendo, Christum applicuisse specialiter sua merita pro Patribus antiquis, & adhuc specialius pro electione eorum, qui efficaciter salui facti sunt: nam licet P. Valquez 1. part. disputat. 94. cap. 3. & alij videantur negare, posse orationem fieri pro præteritis obtinendis: adhuc tamen videtur satis probabile, id posse fieri. Primò, quia Ecclesia orat pro animabus defunctorum, ut liberentur de penis inferni, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, ut non penas æternas sustineant, &c. Cum tamen tunc animæ illæ iam sint liberæ à penis inferni, & ab omni statu damnationis. Nec enim satisfaciunt Suarez 3. tom. in 3. part. disputat. 72. sect. 1. circa finem, & alij, qui dicunt, illam orationem fieri ab Ecclesia, secundum quamdam anticipationem, & representationem, scilicet representando instans ante mortem, in quo nondum illæ animæ acceperant certitudinem salutis; hoc (inquam) non satis facit, quia si hoc sufficeret, secundum hanc representationem possemus etiam orare pro Beatis, representando nunc tempus suæ mortis, & postulando à Deo eorum salutem. Fatendum ergo videtur, Ecclesiam simpliciter petere nunc à Deo salutem animarum, & ut eripiantur ab inferno, non nunc, sed antea, possumus enim nunc petere, ut factum fuerit aliquid de præterito. Videatur Valentia 2. 2. disputat. 6. quest. 2. puncto 8. ubi bene explicat hunc modum orandi pro præteritis.

38 Secundò etiam probari potest possibilem esse hanc orationem, quia alioquin nihil omnino possemus à Deo petere. Scimus enim, circa singulas materias decreuisse iam Deum ab æterno, quid in tempore esset facturum. Quando ergo peto à Deo salutem crastinam, eo ipso peto, quod Deus ab æterno voluerit dare mihi hanc salutem, non enim potest nunc de nouo eam velle; ergo peto à Deo volitionem suam præteritam; ergo similiter potuit Christus petere gratiam Patribus iam antea datam. Probatur consequentia, quia utraque est æquè præterita, & sicut volitio Dei potuit esse ab æterno, dependenter ab oratione mea hodierna, & ideo potuit obtineri per orationem hodiernam, ita gratia Patrum potuit antea dari dependenter ab oratione futura Christi, & per illam orationem obtineri. Cur ergo non dicemus, ita de facto obtentam fuisse?

39 Dices, ergo possumus etiam orare pro salute sanctorum beatorum; quia non obstat positam iam esse, sicut nec obstat in aliis rebus iam positis.

Enertur. Respondeo, negando sequelam. nam licet oratio possit ordinari ad obtinendum aliquid de præterito; sed tamen ad hoc requiritur, non supponi in eo, qui orat, certitudinem de positione illius effectus, pro quo orat, oratio enim est medium ad obtinendum id, pro quo oratur; nemo autem eligit medium ad id, quod iam perfectè possidet independentem ab eo medio. Requiritur ergo, quod ille, qui orat non sit aliunde certus de positione illius obiecti. Sic Ecclesia orat pro liberatione animæ ab inferno, quia Ecclesiæ non constat, an fuerit li-

bera, & quamdiu non constat, potest simpliciter optare, quod liberata fuerit, & hoc ipsum à Deo petere. Sic etiam qui sperat cathedram, vel præbendam, non desistit ab oratione, & precibus, quamdiu suffragia non publicantur, vel sententia non declaratur, etiam si sciat, iam omnes electores, vel Canonicos suffragia sua irrevocabiler dedisse; quia nimirum petit à Deo, ut ea suffragia non fuerint contra se, sed pro se. Sic etiam Christus potuit orare specialiter, ut gratia data fuerit antiquis patribus, dum tamen ea oratio non procederet ex notitia illius gratiæ iam datæ. Neque obstat, Christum in eo instanti habere scientiam, qua perfectissimè sciebat, gratiam illam datam fuisse antiquis; nam hæc erat scientia consequens suam orationem; & sicut gratia data fuerat, quia ipse postea oraturus erat; ita ipse sciebat, gratiam fuisse datam, quia orabat, ut data fuisset. Quare sicut potuit orare pro salute alicuius infirmi, licet sciret, illam salutem dandam esse in illo instanti ex sua oratione; sic etiam potuit orare pro collatione gratiæ præteritæ, licet sciret, eam gratiam datam fuisse propter suam orationem, quia illa scientia erat consequens: scientia autem, quæ impedit orare, est sola illa, quæ independentem ab ipsa oratione cognoscit iam esse positum donum, pro quo orandum erat. Potuit ergo Christus speciali oratione sua mereri, & impetrare gratiam Patrum, potuit etiam speciali applicatione suorum meritorum; nam quoad hoc eadem ratio est de applicatione, & oratione, ut consideranti patebit.

40 Possent hæc occasione dubitari in præsentem, an hoc sit speciale meritum Christi, quod debuit potuerint de condigno mereri premium dandum, antequam essent ipsa merita; an verò conveniat hoc etiam meritis aliorum iustorum, ut quantum est ex se, habeant valorem ad premium, non solum post ipsa dandum, sed quod iam fuerit datum propter ipsa præstata futura? Et quidem de facto hominem iustum non mereri de condigno per sua bona opera aliqua auxilia prius tempore ipsi, vel aliis data, ostendimus supra disputat. 8. section. 7. ubi rationem reddidimus vniuersalem, quia nimirum totus valor operis expenditur in merendo augmento gratiæ, & gloriæ, nec potest aliquid de facto mereri condignè donum perseverantiae, aut auxilium efficax. Cur verò non mereatur homo iustus de facto condignè per sua opera aliquem gradum gratiæ habitualis sibi prius tempore datum, ratio videtur etiam desumenda ex ipso conceptu meriti condigni. nam id, quod redditur pro merito condigno, videtur dari tamquam merces, & ex debito; non potest autem debere is, qui nondum aliquid accepit. ergo merita antequam sint, non possunt extorquere à præmiante premium anticipatum tanquam debitum, & per consequens non præmiabuntur ex debito, nec de condigno, sed ex gratia præmiantis anticipantis solutionem debiti, antequam sit debitum. Quod idem videtur cum proportionem dicendum de pena: nec enim potest nunc homo condignè puniri propter peccatum nondum ab ipso commissum, sed committendum. nam hoc esset velle, quod

quod solveret poenam antequam illam deberet; non debet enim poenam antequam ponatur culpa, ergo cogereetur solvere antequam contraheret debitum. Vnde obiter inferitur, quidquid sit, an de facto mereatur homo de congruo per opus bonum aliquod beneficium sibi à Deo collatum propter illud meritum futurum iam præuisum: de poena tamen id non posse dici, quia cum illa poena non redderetur de condigno, ut diximus, iam ille homo puniretur ultra condignum; quod repugnat iustitiae punitivae, & aequitati, licet non repugnet liberalitati, & gratitudini præmiare ultra condignum.

Contra hanc doctrinam duplex adhuc potest esse obiectio. Prima est contra id, quod dicitur de poena. nam experientia videtur oppositum testari; contingit enim aliquando, hominem peccantem statim eo ipso die accipere meritum aliquod mortis filiorum, aut parentum, vel iacturæ mercium, aut ruinæ rei familiaris; quod infortunium prudentes omnes, & pij interpretantur esse in poenam illius seeleris; ergo propter peccatum futurum præuisum Deus misit, vel permisit illud damnum. nam licet meritum afferatur tunc, quando homo delinquit; malum tamen illud, quod nunciatur, supponitur euenisse multis retro diebus.

Respondetur, in iis casibus peccatorem non puniri propriè antequam delinquat; tunc enim propriè punitur, quando ei affertur nuncium mali præteriti; prius autem, quam peccaret, tunc Deus per mortem filij, vel naufragium mercium, non tam puniebat, quam præparabat sua providentia materiam, qua opportunè puniret postea peccatorem per adventum nuncij tristissimi. Sicut etiam è contra Deus remunerat pietatem, & virtutem præsentem lætissimò nuncio de victoria, vel de salute filiorum, aut classis aduentu; tunc enim Deus illa omnia disposuerat, & præordinauerat, ut suo tempore præstarent gratissimam remunerationis materiam.

Secunda obiectio esse potest contra id, quod dicitur de præmio, desumpta ex præsentia materia. nam Christus meruit condignè, ut dicebamus, per merita nondum posita, gratiam datam Patribus tempore antecedenti; ergo potest aliquod præmium dari de condigno, etiam si meritum nondum sit positum, dum tamen prævideatur iam futurum; & per consequens non subsistit ratio illa, quod præmium condignum datur ex debito; debitum autem non potest esse in præmiante, antequam existat meritum.

Ad hoc fortasse aliquis diceret, Christum meruisse quidem de condigno gratiam antiquis Patribus, condignitate se tenente ex parte meriti, quod non solum fuit æquale, sed longè maius toto illo præmio; non tamen condignitate excludente gratiam aliquam saltem quoad modum. nam licet præmium non fuerit maius, sed minus merito, modus tamen dandi præmium anticipatum non erat debitus; neque hoc impedit, quod Christus meruerit de condigno gratiam antiquis Patribus, nam hic modus loquendi solum requirit æqualitatem meriti cum præmio. Sicut etiam supra

Card. de Lugo de Incarnat.

disput. 3. sect. 10. diximus, Christum satisfecisse pro peccatis hominum ad æqualitatem & rigorem iustitiæ vindicativæ; non tamen quoad modum solutionis, quia poterat Deus non acceptare passionem Christi pro poena aliorum delinquentium. Sic etiam in materia de poenitentia, videbimus, satisfactionem vnius iusti applicatam alteri per modum suffragij, solvere quidem de condigno pro reatu poenæ illius, cui applicatur; non tamen obligari Deum ad illam satisfactionem vnius pro alio acceptandam. Quare ex hoc capite intercedit aliqua gratia Dei eam acceptantis; sed non ideo dicitur illa non esse satisfactio condigna. Sic diceret aliquis, merita Christi fuisse condigna ad gratiam Patrum antiquorum obtinendam; licet in ipso modo solutionis anticipatæ intercesserit aliqua liberalitas Dei soluentis præmium antequam deberetur.

Cæterum facilius responderi potest, doctrinam traditam de insufficientia meriti ad merendum de condigno pro tempore præterito; intelligendam esse de merito finito, & limitato, qualia sunt omnia merita puri hominis, non verò de merito habente infinitum valorem, qualia erant merita Christi; per illum enim infinitum valorem superabat omnem illam difficultatem, & extendi poterat ad tempus etiam antecedens. Deus namque prævidens iam illud meritum futurum cum infinito valore, & tale, ac tantum, ut nunquam tempore sequenti sufficeret, & condignè præmiandum esset; videbat se quasi adstrictum, non quidem ex debito propriæ, & strictæ iustitiæ, quod in Deo non est, (ut vidimus disput. 3. sect. 1.) sed ex æquitate quadam ad anticipandam solutionem pro tempore etiam antecedenti, ut ea ratione retributio esset si non æqualis meritis, minus tamen inæqualis: quare hæc eadem anticipatio erat ex debito iam præuiso, quia in ipso merito futuro prævidebatur ratio condignè, & superabundanter mouens non solum ad tale præmium, sed etiam ad talem modum dandi præmium anticipatum; æquum enim est, ut qui se videt debitum tantum, quantum nunquam possit solvere, incipiat ex parte solvere, etiam antequam re ipsa debitum contrahatur.

Tertia difficultas est, an merita Christi fuerint causa prædestinationis hominum?

Negant de prædestinatione quoad omnes effectus Scotus, Almainus, Adamus, Driedo, & alij, quos refert Valquez, prima part. disp. 94. cap. 1. Fundamentum est triplex. Primum, quia Christus non meruit dispositiones ad iustificationem. Sed hoc iam supra reiectum est. Secundum, quia prædestinati fuerunt electi ad gloriam ante præuisum peccatum originale, & per consequens ante præuisam Christi Incarnationem, & merita. Tertium, quia vnum & quidem præcipuum ex medijs prædestinationis fuit ipsa incarnatio; sed hanc non meruit Christus, ergo non meruit omnes effectus prædestinationis hominum.

Contraria sententia est communior Theologorum, quos refert, & sequitur Suarez in præsentia disput. 41. & 1. part. lib. 2. de prædestinat. c. 24. Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis

N n

Pauli

43

Facilius respondetur

responsio.

44

Difficultas

trivia.

Scotus, Almainus, Adamus, Driedo.

45

Suarez.

Pauli ad Ephes. 1. *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in Christo, sicut elegit non in ipso ante mundi constitutionem: & paulo inferius predestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei per Christum, secundum propositum voluntatis sue.* Vbi illa particula *in Christo*, significat causam meritoriam, vt interpretantur Chrysostomus, Ambrosius, & S. Thomas in eum locum, & S. Augustinus de predestinatione Sanctorum cap. 18. & 19. Nec obstat videntur fundamenta contraria. Non primum, quia supponit principium, nempe dispositiones ad iustificationem non esse ex Christi meritis, cuius contrarium ex Concilio Tridentino, & doctrina Patrum certissimum est. Non secundum, quia negari potest facile aliquem hominem predestinatum fuisse efficaciter ad gloriam ante merita Christi præuisa, & multo minus accepisse aliquem effectum predestinationis, excepta prima gratia data primis parentibus, quam iam vidimus supra non fuisse ex Christi meritis.

Denique ad tertium fundamentum respondent auctores secundæ sententiæ, incarnationem non fuisse effectum predestinationis hominum, quia licet fuerit medium ad eorum salutem; non tamen orta est ex voluntate peculiari circa predestinatos, sed ex voluntate generali, & communi erga omnes homines: requiritur autem ad effectum predestinationis, quod oriatur ex peculiari providentia Dei erga electos, quæ propriè appellatur predestinationatio.

46 Hæc tamen solutio non videtur habere fundamentum satis firmum, si de re ipsa quæstio sit, & non de nomine: Paulus enim non dixit, omnes effectus predestinationis dari per Christum, sed omnia dona, omnem benedictionem, omnia beneficia cælestia, & quidem licet aliquid conducentis re ipsa ad salutem detur mihi ex voluntate generali communi reprobis, & predestinatis, adhuc donum est, & benedictio cælestis; ergo sicut verba Pauli, licet vniuersalia sint, ita tamen debent intelligi, vt loquatur de omnibus aliis donis præter ipsum Christum; dedit quippe nobis per Christum omnia præter Christum, qui non potuit propter se ipsum, seu propter sua merita dari: ita licet loquatur de omnibus effectibus predestinationis; explicari poterit de omnibus præter incarnationem: dedit quippe Deus omnes predestinationis effectus propter Christum, præter ipsum Christum, cuius incarnatio, licet sit effectus predestinationis, non potuit dari propter merita ipsius Christi; tota ergo hæc controuersia videtur de nomine, an scilicet Incarnatio dicenda sit effectus predestinationis; nam de re ipsa fatemur, per Christi merita dari omnes alios effectus, præter Incarnationem, quæ tamen non data est ex Christi meritis.

47 Ex hoc tamen oritur vltima difficultas, an Christi merita fuerint causa electionis eorum, qui ad gloriam efficaciter eliguntur.

P. Suarez dicta disputat. 4. cap. 4. videtur negare; quia electio significat assumptionem huius relictis aliis; & licet Christi merita Deum moueant ad hoc, vt Petrum velit beare, non tamen vt relinquat alios. P. Vasquez 1. part.

disputat. 94. cap. 2. & 3. affirmat, Christum meruisse electionem horum hominum; quem modum loquendi sequuntur communiter recentiores; & mihi etiam magis probatur: videtur enim ab Apostolo supra relato, qui dixit: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; hoc est, *elegit nos propter ipsum*, vt supra ex Patribus obseruauimus.

Ratio autem est, quia vt aliqua sit causa aliquis electionis, non requiritur, quod sit causa relinquendi alios, qui non eliguntur: satis est, si sit causa dilectionis eius, qui eligitur. Sic enim dicimus, misericordiam Dei esse causam electionis predestinatorum, vt loquitur Augustinus de correptione, & gratia cap. 7. nam licet misericordia Dei non sit causa negationis amoris efficacis circa reprobos, sed tamen est causa amoris efficacis erga predestinatos. Item merita Virginis fuerunt causa saltem de congruo, vt eligeretur in Matrem Christi; non tamen fuerunt causa, quod alie non eligerentur: ergo merita Christi fuerunt causa electionis predestinatorum, quatenus intuitu eorum meritorum Deus dilexit efficaciter hos predestinatos, licet ea merita non causarent derelictionem reproborum. Videatur Vasquez vbi supra.

SECTIO IV.

Quo tempore Christus meruerit, & an nunc oret in celo?

Suppono primò, Christum meruisse à primo instanti suæ conceptionis, in hoc conueniunt ferè omnes Theologi, & ratio est, quia à primo illo instanti habuit cognitionem scientiæ infusæ, & alias conditiones requisitas ad merendum: ergo ab illo instanti potuit mereri, & per consequens meruit.

Suppono secundo, Christum continuè protraxisse actus meritorios à primo instanti vique ad vltimum suæ vitæ, sine interruptione, seu intervallo aliquo, quo non meruerit. Hæc etiam est doctrina communis, & sequitur ex dictis, quia nullum fuit tempus, quod non fuerit Christo vtile ad merendum; nam etiam in somno poterat operari per scientiam infusam independentem à phantasia, vt vidimus supra disp. 10. Videatur Suarez in præfenti, disp. 39. sect. 3. circa vtramque suppositionem.

Restat difficultas, quo tempore habuerint terminum Christi merita? in quo etiam conueniunt Theologi, terminum merendi in Christo fuisse terminum suæ vitæ. Ita S. Thomas hac quæst. 19. artic. 1. & alij, quos refert Suarez vbi supra. Probatur potissimè ex Scriptura, vbi passim insinuat Christum per mortem consummasse redemptionem, & confecisse omnino negotium nostræ salutis, ita vt non fuerit necesse in posterum aliquid mereri. Ita sumitur ex Paulo ad Philipp. 1. *Factum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* Ecce merces exaltationis respondet meritis vique ad mortem exhibitis. Item ad Hebr. 10. *Vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedes in dextera Dei, de cætero expectans*

donec ponantur inimici sub pedibus eius. Luc. 24. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & alibi sapē, ex quibus locis Patres communiter colligunt, Christum in hac vita meruisse; de cetero verò non mereri sed accipere fructum meritorum, Videantur loca Patrum apud Suarez ubi supra. Ratione item probatur, quia tempus merendi est tempus viæ, Christus autem fuit viator quandiu vixit, sicut, & alij homines; ergo, eo solo tempore meruit.

Contra hanc doctrinam sunt aliquæ obiectiones. Prima est, quia Christus etiam in hac vita mortali fuit semper beatus, & comprehensor; ergo non habuit statum viatoris: quæ est conditio necessaria ad merendum.

Respondent aliqui, Christum fuisse comprehensorem secundum animam, quæ videbat Deum sed fuisse viatorem ratione sui corporis, cuius gloriam, & impassibilitatem nondum acceperat; & ideo fuisse viatorem quantum satis erat ad merendum.

Sed contra hoc est, quia hinc sequitur, animas purgatorij esse in statu merendi, quia nondum acceperunt gloriam corporis, imò nec etiam gloriam secundum animam: ergo conditio viatoris non consistit in eo, quod nondum acceperit gloriam. Item Henoch, & Elias neutram gloriam acceperunt, & tamen non sunt in statu merendi iuxta viatorem sententiam Theologorum; quod certum est de animabus Patrum, quamdiu detinebantur in limbo.

Respondent alij, statum viatoris esse conditionem ad merendum solum ex ordinatione diuina, non ex natura rei; quare cessante ea ordinatione, & lege Dei, nihil obstat, quominus opera Beati possint esse meritoria.

Sed contra hanc doctrinam arguit bene P. Vasquez 1. tom. in 1. 2. disputat. 216. cap. 4. ubi probat, hanc conditionem requiri ex natura rei ad meritum. Primò, quia valor & dignitas operis non potest provenire ex aliqua extrinseca lege Dei; nec enim Deus potest facere, ut opus, quod ex se non est dignum præmio, manens omnino immutatum sit dignum. Secundò, quia damnati quotidie peccant in inferno, & tamen ea peccata non sunt digna nova pœna, & hoc per se, ex defectu huius conditionis. Tertiò, quia incredibile videtur Beatos quotidie edere opera digna maiori præmio, & tamen nunquam id consequi præcisè, quia Deus non vult præmiare illa opera aliquin dignissima. Propter hæc ergo probabilius mihi est, illam conditionem viæ necessariam esse ex natura rei ad dignitatem operis, & non ex sola lege extrinseca Dei. Sed de hoc in materia de merito.

Tertiò igitur respondet Vasquez in præfenti disputat. 76. cap. 1. & dista disputat. 216. in 1. 2. statum viæ esse conditionem necessariam ex natura rei, ut mereatur aliquis sibi, non verò ut mereatur aliis, vel ut mereatur etiam sibi aliquod præmium accidentale. nam Angeli de facto impetrant nobis plurima dona, & sibi met ipsis exaltationem, & gloriam accidentalem. Christus verò potuit mereri nobis, etiam si esset beatus: nunc autem post mortem non

Card. de Lugo de Incarnat.

meretur, quia non offert pro nobis sua opera, quæ modò facit; requiritur verò ad merendum pro aliis specialis applicatio ipsius merentis pro aliis, pro quibus vult mereri.

Hæc solutio non placet. Primò, quia si opera Beatorum habent dignitatem, ut proliant aliis, incredibile est, Beatos nostri boni amantissimos non applicare sua opera nobis: quod idem de animabus purgatorij minùs credibile est, quod non applicent sua merita pro iis, qui erga ipsos beneficentissimi sunt. Secundò, quia si per ea opera possunt mereri Beati sibi præmium accidentale; ad hoc non videtur necessaria relatio specialis ipsius merentis, sicut nec in hac vita necessaria est nobis talis relatio ad merendum pro nobis: nec hoc credo negari ab ipso Vasquez: ex hoc autem videtur sequi, Christum nunc de facto mereri sui nominis exaltationem, quam nondum plenè assequutus est, & per consequens non solum in hac vita. Sed etiam in cælo Christum mereri, contra ipsum Vasquez. Item sequitur, animas purgatorij mereri de condigno sibi aliqua dona accidentalitè; qualis esset remissio, vel mitigatio pœnarum. Item Beatos ipsos mereri nunc sibi de condigno, & consequens infallibiliter exaltationem sui nominis, & alia huiusmodi, & per consequens vel Deum non reddere præmium condignum accidentale iis meritis, quæ quotidie Beati multiplicant, & quæ verè sunt merita condigna, (quod tamen esset absurdum in sententia ipsius Vasquez) vel crescere quotidie magis, & magis, ferè in infinitum præmium accidentale Beatorum, cum quotidie augeantur ipsorum merita. Tertiò, quia si Beatus meretur sibi de condigno præmium accidentale, etiam damnatus possit mereri sibi de condigno pœnam accidentalem: cum ergo quotidie multiplicentur peccata damnatorum, necesse erit, quotidie augeri eorum pœnam accidentalem, vel manere illa sine digno supplicio, quod est contra ipsum Vasquez.

Propter hæc dicendum existimo, statum viatoris adesse esse necessarium ad merendum, ut nec sibi, nec aliis possit aliquid etiam accidentale mereri condignè, qui viator non sit. Quod à posteriori colligitur ex inconuenientibus positis. A priori verò fundari videtur in ipsa natura intellectuali libera, quæ eo ipso, quod à Deo producatur cum libertate arbitrij, videtur exigere eiusmodi gubernationem Dei, secundum quam possit vel præmiari, vel puniri pro diuersitate suorum operum; ipsa enim potentia libera ex natura sua est potentia ad merendum, & quasi negotiandum; quare eo ipso petere videtur statum sibi proportionatum, ne fuerit frustra illa potentia, quæ nunquam potuerit reduci ad actum. Ad hoc autem necesse est, designari aliquod spatium, antequam de ipsis meritis feratur iudicium; & hoc spatium appellatur via; pertinet verò ad Deum taxatio istius spatij, quod in aliis breuius, in aliis diuturnius esse contingit, in Angelis enim forsitan non excessit duo instantia; in hominibus verò non excedit terminos vitæ: fateor tamen, potuisse à Deo hoc spatium viæ contrahi, vel extendi pro sua voluntate.

N n 2 &

54

Author non satisfact.

55

iudicium antheoris.

& in hoc sensu potest defendi sententia, quæ docet, hanc conditionem viatoris requiri ad meritum ex sola libera lege Dei; nam licet ex natura rei requiratur opus meritorium fieri à viatore; sed tamen pendet ex libera lege Dei, quod hoc tempus deputetur huic personæ ad statum viæ, vel non deputetur; pertinet enim, (vt dixi) ad supremum Principem, & gubernatorem designare singulis tempus certaminis, & negotiationis, & tempus iudicii, & fructuum. Vnde etiam satis verisimile mihi est, hanc conditionem viæ ita necessariò requiri ad meritum, vt sine illa non possit reperiri meritum non solum de condigno, sed nec etiam meritum de congruo, propriè loquendo; quia licet hoc non sit tam rigorosum meritum; sed tamen est meritum in ordine ad gratitudinem excitandam, & respondet illi sua merces, & fructus pro labore, & obsequio; atque ideo videtur requirere statum merendi, & comparandi, non fruendi.

56
Obiectio Vasquez Augustinum epistola 105. vbi significat, impetrationem esse meritum de congruo, agens enim de remissione peccatorum, inquit, non fieri in nobis sine merito si fides eam impetrat his verbis: *sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*: ergo apud Augustinum, vbi datur impetratio, datur meritum, sed negari non potest, quin Beati aliquid nobis suis precibus impetrent, alioquin frustra eorum intercessionem postularem; ergo merentur de facto saltem de congruo, & per consequens status viatoris non requiritur ad merendum pro aliis.

57
Augustinus explicans.

Respondeo, Augustinum ibi loqui de impetratione late sumpta, non prout est proprius effectus orationis, agit enim de impetratione, quæ provenit ex actu fidei, non quidem orando, sed merendo, & hæc impetratio non differt à merito. Alia verò est impetratio stricta propria orationis, & hæc non est meritum; nam in oratione mea distinguuntur omnino ratio meriti, & ratio impetrationis, & possum mereri mihi, & impetrare pro defuncto: hæc autem impetratio benè datur in Beatis sine vllò merito, quia id quod impetratur, non datur intuitu orationis, quasi ex gratitudine vt premium illius orationis, (vt vult Vasquez) sed potius datur ex gratitudine ad merita præcedentia orantis, quæ per orationem applicantur, & representantur; mouet itaque oratio, non vt meritum, sed vt applicatio, seu representatio meritorum ad obtinendum; & Deus mouetur ex oratione, quia congruum est explere desideria, & preces eorum, qui antea meruerunt apud ipsum Deum. Admittimus ergo, in Beatis orationem, & impetrationem, non tamen meritum.

58
Christus quomodo potuerit mereri, etiam si esset Beatus.

Hinc ergo ad nostram quæstionem inferitur, quomodo Christus potuerit mereri, etiam si esset Beatus; quia nimirum erat simul viator. nam licet à primo instanti habuerit visionem beatam; quia tamen habebat naturam intellectualem liberam creatam, oportuit designari ei suum etiam spatium viæ, in quo posset negotiari, & mereri tam pro aliis, quam etiam

pro se in iis, quæ sibi adhuc data non erant, nec aliunde debebantur ex vi præsentis decreti; habuit autem pro spatio suæ viæ tempus vitæ passibilis; iuxta legem communem aliorum hominum, cum non esset ratio ponendi aliam nouam legem pro ipso quoad terminum vitæ; & per consequens durante hoc spatio potuit mereri, tam sibi, quam aliis; transacto verò hoc spatio nec sibi, nec aliis potuit mereri.

Secunda obiectio principalis oritur ex vulnere lateris Christi lancea aperti post eius mortem; videtur enim meruisse illo vulnere, & illo merito causasse efficaciam Sacramentorum; sic enim indicat S. Leo epist. 4. c. 6. dicens: *tunc generationis potentiam sanxit, quando de latere eius profuxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis*. Cui concordat Ambrosius lib. 10. in Lucam c. de commendatione Mariae. Augustinus tractatu 15. & 120. in Ioan. Chrysostomus homilia 84. in Ioan. Cyrillus lib. 12. c. 39. relati à Suarez in præsentia disp. 39. in fine; quibus consonat Ecclesia in hymno dicens: *quo vulneratus insuper microne dirò lancea, vt nos laueret crimine, manauit vnda, & sanguine*. ergo etiam post mortem meruit Christus per vulnus postea inflictum.

Omissis aliis solutionibus, communior, & probabilior docet, illud vulnus dupliciter potuisse dici fontem Sacramentorum. Primò, quatenus obiectiue fuit meritorium, hoc est, vt obiectum voluntatis bonæ, & meritorie, quia Christus adhuc viuens accepit illud vulnus, & obtulit se ad effundendum potum sanguinem pro nobis, qui tamen nondum erat completè effusus ante illud vulnus. Secundò dicitur Christus illo vulnere lauisse nostra peccata representatiue: quatenus illa effusione mirabili sanguinis, & aquæ representauit munditiem, & redemptionem nostram, atque etiam efficaciam Sacramentorum nouæ legis, quæ illa aqua, & sanguine figurabantur. Sic etiam ad Rom. 4. dicitur Christus traditus esse propter delicta nostra, & resurrexisset propter iustificationem nostram: non quia eius resurrectio fuerit causa meritoria nostræ iustificationis, sed quia representabat nostram resurrectionem spirituales ad vitam gratiæ; vt explicant Origenes, Anselmus, & Augustinus, quos refert Pereyra ibi. disputat. 10. Item in eodem sensu accipiendus est S. Thomas infra quæst. 52. art. 1. vbi dicit, Christum descendisse ad inferos, vt nostram penam adequatè portaret, & nos ab omni pena eriperet; vbi videtur indicare per ipsum descensum Christum satisfecisse pro nobis, & nos ab inferno liberasse; sed intelligi debet in sensu explicato: quodd scilicet descendens ad inferos magis expresse significaret efficaciam suæ passionis, qua nos ab omni pena temporali, & æterna redemit saltem quoad sufficientiam.

Hinc oritur dubium, an Christus oret nunc in cælo pro nobis; quam quæstionem tractant diffusè Moderni infra quæst. 21.

Affirmat Suarez cum aliis, quos refert ibi disputat. disp. 45. sect. 2. de oratione propriè, & strictè sumpta. Probat ex Scriptura ad Rom. 8. *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. ad

ad Hebr. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 1. Ioan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Deinde ex Patribus, qui prædicta loca de vera, & propria oratione intelligunt. Denique probatur ratione, quia nulla apparet indecentia in eo, quod Christus ut homo exerceat hunc actum religionis orando Deum, sicut oravit sæpe in statu passibili. Impassibilitas enim non tollit orationem, cum B. Virgo, & alij Beati etiam in statu impassibili orant.

Contrariam sententiam docet cum aliis Vasquez infra disputat. 82. cap. 2. & sequentibus. scilicet Christum in celo non orare strictè, & propriè, sed latè, quatenus eius merita præcedentia non minus movent Deum, quam si actu existerent, & ideo quasi tacita quadam sui representatione clamant, & negotium nostræ salutis ad finem perducunt. Probat hanc sententiam, primò ex Patribus, quorum aliqui expressi sunt, alij non parum eam videntur indicare. Probat deinde tribus rationibus. Prima, quia si Christus oraret in celo, mereretur saltem de congruo, omnis enim impetratio includit aliquod meritum: Christus autem nunc non meretur; ergo. Hæc ratio infirma est, (ut vidimus,) quia impetratio propriè loquendo non est meritum, licet secum affert regulariter representationem meritum præcedentium. Secundò probat, quia Christus in hac vita confecit omnino negotium nostræ salutis, non solum in communi, sed in speciali omnia cum Deo sigillatim composuit, & omnia, quæ voluit impetrauit una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ergo non habet necesse nunc orare; ut quid enim, nisi perfunctoriè oret pro iis, quæ iam plenè habet in sua potestate? Cum ergo hæc omnia iam plenè in eius arbitrio sint posita iuxta illud, quod post resurrectionem suam dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra;* non videtur posse manere locum, vel necessitatem orandi. Denique, quia hic est perpetuus Ecclesiæ usus, quod nunquam petamus à Christo, ut oret pro nobis, sed ut miseretur nostris quia nimirum Ecclesia non credit, Christum orare, sed pro arbitrio suo cuncta disponere.

In hac controuersia aliquid videtur esse de nomine, nam in re ipsa fatendum videtur, Christum secundum humanitatem etiam post resurrectionem non ita res disponere independentè à Deo, ut necesse non habeat suam voluntatem Deo representare, ad hoc ut res fiant; verbi gratia, vult Christus, quod detur gratia Petro, non potest Christus hanc voluntatem executioni mandare, nisi representatione eam Deo; Christus enim secundum humanitatem non causat physicè illam gratiam Petri, sed solum moraliter, ut suppono, & per consequens non causat, nisi mouendo Deum, ut producat illam gratiam, quæ motio est representationis suæ voluntatis. Sed tamen dubium potest esse de modo loquendi, an hæc representatio, qua Christus suam voluntatem Deo representat circa gratiam Petri, dicenda sit postulatio, seu oratio? & in hoc magis placet modus loquendi secundæ sententia.

Card. de Lugo de Incarnat.

tiæ, quia videtur conformior vsui Ecclesiæ, & communi sensui fidelium. Oratio enim, propriè, & strictè loquendo, non solum est representatio meæ voluntatis, sed etiam connotare videtur, vel includere carentiam potestatis plenæ, & absolute in eo qui orat, quia ergo Christus post mortem accepit à Deo plenam, & absolutam potestatem ad disponendum de omnibus in celo, & in terra, ut ex ipsius verbis adductis colligunt communiter Patres, ideo non dicimus, Deum orare, in rigore loquendo, licet in aliquo sensu minùs stricto dici possit orare, & postulare.

DISPUTATIO XXVIII.

De subiectione & seruitute Christi.

SECTIO I. *Quomodo Christus dicendus sit subiectus Deo, vel minor Deo?*

SECTIO II. *Sententia affirmans Christum esse propriè seruum.*

SECTIO III. *Christum non esse propriè, & strictè seruum, verior sententia affirmat.*

SECT. IV. *Quo sensu alij Patres Christum seruum appellarint?*

SECT. V. *Utrum saltem cum reduplicatione possit Christus dici seruus?*

SECT. VI. *Dissoluntur argumenta contra nostram sententiam.*

RIA sunt nomina, de quibus iam præsentia dubitari solet, an tribui possint Christo, scilicet, *subiectus, minor, seruus*; de quibus singillatim dicendum est.

SECTIO I.

Quomodo Christus dicendus sit subiectus Deo, vel minor Deo?

DE primo concors est Theologorum sensus cum S. Thoma, in præsentia, *quasi. 20. artic. 1.* Christum esse subiectum Patri, quod constat ex epistola Concilij Alexandrini, quæ est 10. inter epistolas Cyrilli, & ex Basilio lib. 4. contra Eunomium. & Cyrillo lib. 20. thesauri, cap. 4. & aliis. Ratio autem defumitur ex inferioritate, quam Christus ut homo habet, & ex debito obediendi præceptis diuinis, quod debitum fundatur in subordinatione humanitatis ad Deum, tanquam ad Auctorem suum.

Obiicies primò, Christum non potuisse esse capacem præcepti proprii obligantis; quia obligare præcepto obligante ad culpam, est dicere, fac hoc, alioquin eris mihi inimicus; hæc autem comminatio fieri non potest, nisi

1
ut subiectus,
an tribui pos-
sit domino.
Sententia af-
firmat.
S. Thom.
Conc. Alex.
Basilius.
Cyrill.

Obiectio pri-
ma.